





574  
1711 1770  
391  
20  
D. D. P. V.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE

PROBATIONE  
SPONSALIORVM,

Quam

DEO T. O. M. ADVENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. PHILIPPO WILHELMO,  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
ET DVCATVS MAGDEBURGICI GVBERNATORE,  
CETERA,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO, IC.  
SERENISS. VIDVAE SAXO-ISEN. CONSIL. AVL. PROF.  
IVR. PVBL. ET ORD. ICT.  
h. t. PRO-DECANO,

PATRONO SVO OMNI HONORIS CVLTV VENERANDO,  
PRO LICENTIA

Summos in vtroque Iure honores & Priuilegia DOCTORALIA  
rite capeffendi,

IN AVDITORIO MAIORI  
D. xxvii. April. A. R. S. MDCCXI.  
Horis ante- & pomeridianis

Placido Eruditorum. examini submittit

IO. MATTHIAS BIESTER  
Hamburgensis.

Halk Magd. Typis Joh. Gruneri Acad. Typogr.

V.M.

... (faint text, possibly bleed-through from the reverse side)

Primo scriptis de contentione partium...  
... (faint text, possibly bleed-through from the reverse side)

RIOLE

... (faint text, possibly bleed-through from the reverse side)



## PRÆFATIO.

**C**UM exantlatis studiis Academicis, specimen aliquod inaugurale edendum esset, varia quidem se mihi obtulerunt argumenta, in quibus vires ingenii periclitari potuissem, placuit tamen eiusmodi thema eligere, quod in praxi frequentissimum, & utile non modo, sed & gratum atque iucundum lectori esse posset. Hinc, ex gratissima omnibus & amoenissima materia matrimoniali, hanc de Sponsaliorum probatione elegi, ideo quod illa ubiuis usum habeat, nondum tamen ex fundamento tractatam inuenerim. Temporis ratio non permisit hæc ipsa plenius excutere & variis rationibus & exemplis illustrare, adeoque veniam mihi a beneuolo lectore polliceor, atque si in quibusdam articulis tramite aberrauero, ut id ipsum suo excuset fauore, omniaque in meliorem partem interpretetur, maiorem in modum contendo.

A 2

DIS

DISSERTATIO  
DE  
PROBATIONE SPONSALIO-  
RVM.

§. I.

Scopus differ-  
tationis,



Nihil in iudiciis nostris Ecclesiasticis, seu Consistoriis frequentius est, quam lites de promissis Sponsalibus: interim circa probanda Sponsalia non exigua saepe se exferit difficultas. Nam non semper certo constat Sponsalia contracta esse, cum eiusmodi negotiis raro testes adhibeantur, sed quandoque ex aliis circumstantiis de iis iudicari debeat. Proinde animus est hic de probatione sponsaliorum agere, & quid ad eam requiratur breuibus exponere.

§. II.

Quid hic sit  
probandum?

x) Consensus  
contrahen-  
tium.

Ante omnia autem videndum est, quid hic probandum sit. Iudicandum hoc est ex definitione sponsaliorum, quatenus Sponsalia nihil aliud sunt, quam legitimus consensus duorum, masculi & feminæ, de futuro matrimonio. Sequitur autem exinde duo hic probanda esse ab actore, primo, talem consensum serio ac deliberato animo interuenisse inter illas personas, de quarum sponsalibus quæritur, qui vocari solet consensus sponsalitiis. At non dum hoc sufficit, sed & requiritur, vt ille consensus sit legitimus, hoc est, par-

partes facultatem consentiendi habuerint. Non enim consensus tantum, sed & facultas consentiendi requiritur. Velle enim non creditur, qui subest potestati alterius *L. 4. ff. de Reg. Iur.* Ita quando liberi <sup>2) Et parentum.</sup> adhuc in potestate alterius sunt, non sufficit probare consensum liberorum, sed simul probandus est consensus parentum, & quidem præcipue patris, post eius vero mortem etiam matris; Imo in Patria mea hoc speciali Edicto Gegen die Verkuppelung und Verschführung der Weiber / Jungfrauen und Unmündigen de An. 1676. m. Octobr. singulariter statutum, quod & deficientibus parentibus Tutorum & Curatorum, imo etiam Agnatorum & Cognatorum consensus requiratur. Cuius verba huc pertinentia hæc sunt: Daſerne jemand / er sey fremd oder einheimisch / Bürger oder Einwohner dieser Stadt / eine getraute oder ungetraute Person / Eheweib / Wittwe oder Jungfrauen / wes Jahren oder qualität er oder sie auch seyn mögen / ohne Vorwissen / Willen und völlige Beliebung der Eltern / Vormünder oder nächsten Bluts-Verwandten / beydes von Vater und Mutter / in Ehegelöbnissen zu ziehen sich unterfangen / und selbe respectiue mit ihrem / oder ohne ihren Willen / es sey umb unehrllicher oder ehrlicher Liebe / ihres habenden Geldes haiber / oder was sonst die Ursachen seyn können / entführen / selbe ihm heim- oder öffentlich für oder nach der Verkuppelung oder Entführung / in oder außser der Stadt / von ordentlichen oder fremden Predigern sich trauen lassen würden; daß solche Hand

Handlung/ ob solche Partheyen sich gleich eyndlich verknüpfet/ als an sich nichtig/ krafftlos und von keinen Bürden/ auf Summarisches Anruffen sofort dafür erkläret/ und für keine Ehe geachtet noch gehalten/ sondern als zu Recht / und dieser Verordnung nach ungültig und unbündig cassiret/ und das Gelübde vernichtet werden sollen. Vt adeo in probatione sponsaliorum etiam eorum consensus docendus & demonstrandus sit.

## §. III.

Quid si parentes postea mortui, an sufficiat probatio consensus contrahentium.

Non possum non hic de eo casu agere quem Doctores non tangunt, in facto tamen extitit, si scilicet iuuenis cum puella sponsalia, serio ac deliberato animo, contraxerit sed non adhibito matris consensu, pater enim iam mortuus erat, & post sponsalia illa contracta decedat mater, iam agat puella ad consummationem matrimonii: reus, conuictus re vera sponsalia intercessisse, excipit, matrem non consentisse, & sic esse sponsalia clandestina, quæritur ergo, an fundata sit exceptio hæc? Viderur quidem eam fundatam esse, quia sponsalia sine parentum consensu contracta sunt nulla, quod autem nullum est, nec potest tractu temporis conualescere. At vero eiusmodi sponsalia non sunt absolute nulla, sed tantum intuitu parentum, & in gratiam eorum, utpote, cum contra reuerentiam parentibus debitam sit, & potius in eorum iniuriam tendat, illis iniuris matrimonium contrahere: illis ergo mortuis valida erunt sponsalia, ob naturalem, quæ iis inest, obligationem, & quia ante adducta ratio cessat. Vbi autem ex speciali ratione lex communem libertatem restringit, cessante ratione etiam ipsa cessat restrictio.

## §. IV.



## §. IV.

Cum vero communiter sponsalia in publica & clandestina distinguantur, ad illa autem non tantum consensus parentum, sed & testium presentia, si parentes non adsint, requiratur, alioquin hæc sponsalia nulla sint, hinc quæritur, annon in casu, ubi parentes non adsunt, testes adfuisse necessario probandum sit? Equidem non nego, id necessum esse, ubi præcise testes ad solennitatem sponsaliorum requiruntur, & alias sponsalia pro nullis declarantur: Enimuero eiusmodi Constitutiones ex sana ratione interpretandæ, ne absurdum inde deducatur. Nam primo tota illa distinctio inter sponsalia quæ cum aut sine testibus contrahuntur, nec iuris diuini, nec iuris naturæ, nec iuris civilis principiis conueniens est: omnia enim illa iura volunt absolute, vt fides data sine distinctione seruetur. Imo si recte attendamus nec iuri canonico hæc distinctio conueniens est, licet hoc ius causam huic distinctioni dederit. Quamuis enim in *Lib. 4. Decret.* reperitur titulus: *de clandestina desponsatione*, ipse tamen contextus docet, agi ibidem non de desponsatione proprie dicta, sed matrimonio clandestino: igitur lex confusione sponsaliorum cum matrimonio, per errorem hæc distinctio ad sponsalia tracta est, & insuper ex principio Pontificiorum, quod matrimonium sit Sacramentum, fluit, vt pluribus ostendit Dn. Præses in *Dissert. de reliqu. Sacram. in matrimonial. Cap. 2. §. 19. seqq.* Iam ergo, si rationem quærimus, cur statutis quorundam locorum sponsalia sine testibus & clam contracta prohibeantur, ad vnum omnes respondent, quia vt plurimum dolo, astutia, aut concussionem altera ars ad con-

An etiam testes sponsalibus adfuisse presentes probandum.

sensum adduci solet, & periuria aliaque incommoda inde nascuntur, atque probari non possunt, Carpz. *Iurispr. Eccles. L. 2. def. 32.* Quodsi ergo casum supponamus, ubi duæ personæ, sui iuris, sponsalia deliberato animo contraxerunt, sed ex iustissimis causis ea publicare nondum voluerunt, & ita testes non adhibuerunt, vterque etiam id confitetur, & tamen altera pars sub hoc prætextu recedere vult, quia testes non adfuerunt. Hic quia omnis ratio prohibitionis cessat, non puto, statuta illa ad hunc casum posse applicari, ob manifestum alterius dolum, cuiusmodi deceptoribus nulla iura succurrere velle præsumuntur *L. Auxilium 37. in f. ff. de minor.* Hinc eiusmodi particularia statuta, vt in Saxonia, non extendenda ad alias Prouincias, sed vbi non expressè & specialiter omnia indistincte sponsalia sine testibus contracta pro nullis habentur, vt in patria mea ciuitate Hamburgensi tale non inuenitur, nec præter consensum parentum tutorum & agnatorum testes requiruntur, ibi ex iure communis res decidenda. Conf. pluribus hac de materia Dn. Præses *Diff. de Natura Sponsal. & diuisione Cap. IV. §. 2. & pluribus sequ.* Imo quandoque in ipsis illis constitutionibus particularibus quibus prohibita sponsalia clandestina, additur, hoc non eo tendere debere vt alteri occasio detur decipiendi puellam & postea deserendi; vt videre est ex *Const. Brunsvic.* cuius infra in Responso adiecto mentio facta est.

## §. V.

Quæ modis  
 probari spon-  
 salia possint.

Iam vt ad ipsam probationem accedamus, notum est, variis modis fieri solere probationem; scil. (1) per

per confessionem (2) per testes (3) per Instrumenta (4) per iuramenti præstationem & (5) per præsumptiones, hinc dum de probatione sponsaliorum agere animus est, singulas eius species diuersas, ordine pertractabimus, vt inde appareat, quid ad veram probationem sponsaliorum requiratur.

## §. VI.

Primo itaque de confessione partium agendum, tanquam probatione omnium certissima & optima. Hic vero pro diuersis casibus diuersimode respondendum. Primo ergo quæritur, an ad probationem requiratur tantum confessio iudicialis, annon & extraiudicialis sufficiat? Videtur quidem affirmandum esse prius membrum quæstionis, posterius autem negandum: ideo, quod communiter confessio extraiudicialis plenam fidem non faciat, sed tantum præsumptionem, vnde & illi sententiæ accedit Brouwer. *tract. de Iure Connubiorum L. 1. c. 23. n. 7.* qui tamen excipit casum, si geminata fuerit confessio, aut parte præsentis coram legitimis testibus facta, tum enim extraiudiciale cum iudicali eandem vim probandi habere; At enimvero, eum nemo de facti veritate certius deponere possit, quam qui ipse contraxit, non video quare seria eiusmodi confessio illius personæ quæ nunc sponsalia inire detrectat, non pro vera habenda sit, maxime cum quasi contra se ipsum confiteatur, vbi, cum matrimonium tanti præiudicii res sit, non præsumitur confessio falsa. *Vid. L. 2. C. de transact. L. 13. C. de N. N. P.*

An sola confessione extraiudiciali probari possint sponsalia.

B

§. VII.

## §. VII.

An per confessionem sponsaliorum posteriora sponsalia publica dissolui possint?

Alia quæstio est, si quis coram testibus sponsalia contraxerit, & postea confiteatur, se iam alii puellæ fidem de matrimonio contrahendo dedisse, nec alia huius sponsionis adsit probatio, quam nuda illius confessio, de qua agit Brouwer *cit. l.* Nam hoc facile concedo, tunc solam confessionem plenam fidem non mereri. Excipit quidem Brouwerus casum, si prior sponsa iam imprægnata sit, tum enim præter confessionem stupratoris etiam graui præsumptione eam adiuuari, itaque potiorem rationem partus, quam secundæ sponsæ & intactæ habendam esse. Verum vt hoc locum habeat & ipsius feminæ imprægnatæ confessio, & vt reuera grauida sit requiritur; vt ita non possit hic effectus soli confessioni stupratoris adscribi.

## §. IIX.

An per confessionem secretam priora sponsalia clandestina conualidentur?

Hæc vero quæstio maioris momenti est, si quis cum virgine honesta, vbi vterque sui iuris est, sponsalia contraxerit, deliberato animo, sed nullis adhibitis testibus, annon tum per confessionem subsequitam conualidentur sponsalia? Negat id Carpz. *Iurisprud. Confist. l. 2. def. 35. & l. 5. Resp. 109. n. 17.* Cuius sententia admitti potest in Saxonia & vbi sponsalia sine testibus contracta pro clandestinis habentur: ibi enim stat pro ratione voluntas Legislatoris; Verum quod Carpzouius illam sanctionem etiam rationibus sanis conuenire asserat, id frustra ab eo fit. Nam potissima eius ratio hæc est, quia pro forma essentiali sponsaliorum publicorum requiritur, vt contrahantur in præsentia testium;

DISSERT. DE PROBAT. SPONSAL.

ftium ; Aft concedo hoc de fponfalibus publicis , fed  
quæritur an in genere, præfcindendo ab illa diftinctione  
inter publica & clandestina, ad effentiam fponfalio-  
rum requiratur, vt testes adhibeantur ? id quod con-  
ftantiffime nego, cum folus contentus producat obli-  
gationem. Et quaefo an tantum ad illam fidem fer-  
uandam obligamur, quam coram testibus dedimus, an  
non & fine testibus datam ? Clandestina fponfalia ideo  
statutis prohibentur, quia vt plurimum dolo & falſis  
perſuaſionibus inita, non ergo ad hunc caſum id exten-  
dendum, vt ſupra §. IV. dictum.

§. IX.

Quæ cum ira ſint, nunc porro eorum ſententia  
ad examen reuocanda, qui aſſerunt, Confefſione qui-  
dem ſponfalia probari poſſe & nullam eſſe meliorem  
probationem, quam proprii oris confefſio ; attamen  
ſi illa fieret & ſpectaret ad diſſolutionem ſponſalio-  
rum, vel præiudicium ſponſaliorum publico-  
rum poſtea contractorum, eam fidem nullam  
facere nec quicquam probare Cypræus *de iure Connub.*  
*cap. XIV. §. 10. n. 2.* Verum hanc ſententiam quoad  
prius membrum omni rationi naturali refragari facile  
oſtendi poteſt. Primo enim hic non agitur de ſpon-  
ſalibus diſſoluendis, ſed de quæſtione an contracta ſint  
ſponſalia, an ſecus, de quo non melius, quam ex con-  
feſſione partium conſtare poteſt. Et ſit etiam, ita per  
conſequens diſſolui ſponſalia ſi forte illa contracta &  
deſponſari dicerent, ſe nulla contraxiſſe, quid inde ?  
Nihil tam naturale eſt, quam eo modo quidue diſſolui  
quo colligatum eſt, & ſic mutuo diſſenſu. Aſt tota  
illa ſententia, qua Dd. omni modo pro matrimonio po-  
tius

An confefſio  
tantum probet  
pro ſponſalibus,  
non contra.

tius, quam contra illud iudicare solent, cuius varia exempla in sequentibus occurrunt, ex solo Pontificiorum principio, quod matrimonium sit Sacramentum, atque adeo fauorabile, & omni modo cauendum ne dissoluatur, sed potius promoueatur, profluit; cum nulla alia solida ratio dari possit. Cum enim matrimonium tam arduum negotium sit, quod illos, qui non satis prouide id ineunt, in summam miseriam totius vitæ, imo sapius & in periculum salutis æternæ perducere possit, omni modo cauendum est, vt potius in dubio, vbi res adhuc integra & sponsalia tantum contracta, illa dissoluantur potius, quam vt inuiti ad consummandum matrimonium compellantur.

## §. X.

An confessio  
probet con-  
tra Sponsalia  
posteriora.

Quod vero alterum attinet membrum, quod sc. confessio non probet in præiudicium sponsaliorum postea publice contractorum; tum vtique, si priora clandestina fuerint, posteriora præferuntur, sed inde non sequitur per confessionem nihil probari, probata enim sunt sponsalia, quamuis clandestina; Itaque aliud est, an confessio illa faciat probationem, an vero releuet hæc probatio.

## §. XI.

An confessio  
debeat esse  
acceptata.

Neque hoc præcisè necessarium est, quod Cypræus *cit. l. n. 3.* subiungit, vt confessio efficax sit, necessarium esse, eam acceptatam esse. Nam illa acceptatio non est de necessitate, sufficit quod alter negotium serio confessus fuerit, acceptatio enim hic præsumi-

fumitur. Nam dum quis ad impletionem sponsaliorum agit, & se in confessione alterius fundat, sine dubio illam tacite acceptauit.

## §. XII.

A probatione per confessionem alterius ad probationem per testes progredior, vbi cum non certus numerus testium legibus præscriptus sit, duo sine dubio sufficiunt. Oportet autem vt sint idonei, nam quæ exceptiones alias testem repellunt, illæ etiam in hoc negotio obstant.

Quomodo testibus fiat probatio.

## §. XIII.

Videamus autem in specie quinam vt testes admitti possint, vel non. Et primo quidem, an minor XXV. annorum pubes tamen possit esse testis. Negat hoc Cypræus *de Iure Connub. Cap. 14. §. 4. n. 2.* idque ex ratione quod in causis criminalibus non admittatur; causæ autem matrimoniales criminalibus comparantur. At vero dupliciter hic responderi potest, primo, in citata ab ipso *L. Testimonium 1. ff. de Testib.* nihil hac de re inueniri, sed in genere statuitur omnes illos testes esse posse, in causis ciuilibus & criminalibus, qui non in specie prohibentur: deinceps ex ipsa quotidiana experientia constat, hoc in praxi nullo modo attendi. Neque semper a criminalibus ad matrimoniales causas valet argumentum. Quin quod sæpe iam minorenes matrimonia contrahant, quod maius est, quam testem esse de contractis sponsalibus.

An minor possit esse testis.

B 3

§. XIV.

## §. XIV.

An viles &  
pauperes,

Nec viles & pauperes admittit Cypræus, & ad L. 3. ff. de Test. prouocat; Verum ipsa lege inspecta adparet, ibi quidem rationem conditionis in teste habendam esse; sed potissimum eo respiciendum esse velle iustum, an honestæ & inculpatæ vitæ sit; quod si ergo hoc etiam in vilis conditionis homine & paupere reperiatur, sine dubio etiam eius valebit testimonium. Vti & quod postmodum subiungit, nec admittendos esse milites stipendiarios, quod infames infamia facti quodammodo censeantur, & mentiri pro nihilo ducant, plane omni fundamento destituitur, & cum hodie omnes fere milites stipendiarii sint, in magnam eorum iniuriam tenderet.

Et milites sti-  
pendiarii.

## §. XV.

An consan-  
guinei,

Contra vero admittit Cypræus Parentum & Cognatorum testimonium in causis sponsaliorum, modo coniuges pares sint, nec magna adsit inæqualitas diuitiarum, honoris & dignitatis, aliarumque qualitatum Tr. de sponsal. C. 14. §. 5. Verum vti eorum testimonium in aliis causis non admittitur, etiam hic non facile admittendum esse puto, cum eiusmodi testimonium vix a suspitione liberum esse possit. Prouocat quidem ad c. 22. X. de testib. Sed ex illo textu sumitur argumentum a contrario sensu, quod vt plurimum fallit: insuper ius Canonicum hac in parte suspectum est, utpote quod ex principio suo, quod matrimonium sit Sacramentum, illud magis promouet, quam impedit.



dit. Cum tamen matrimonium contrahere res maxi-  
mi sit præiudicii.

## §. XVI.

Interim tamen admitti potest in specie parentum  
testimonium, quando agitur de probando consensu  
parentum, tum utique non melius de eo, quam ex  
eorum testimonio constare potest. Deinde etiam, si  
alii testes deficiant admitti possunt, si non ad plenam  
probationem, tamen ad faciendam præsumtionem. Hinc  
& Brouverus *de iure connub. l. 1. e. 23. n. 12.* non in  
totum reprobari debere eorum testimonium, nec in  
totum approbari, rectissime asserit.

Admittuntur  
certis casibus.

## §. XVII.

Ex eodem quoque fundamento iudicandum, an  
domesticorum testimonium admitti debeat? quod et-  
iam regulariter negandum est, ita ut tantum vel con-  
currentibus aliis probationibus vel in defectu illarum  
admittantur, & iudicis arbitrio relinquendum sit,  
quantam fidem faciat.

An domestici.

## §. XVIII.

Quid vero de proxenetis seu mediatoribus  
sponsaliorum dicendum. Vocatur autem proxene-  
ta a voce græca *προξενία* concilio, unde *προξενός* qua-  
si conciliator, conglutinator, quorum usus insignis est  
in patria mea inter mercatores. Sunt vero alii autorita-  
te magistratus constituti, alii voluntate partium electi,  
vid. *Ordin. Hamburgensis von den Mäclern / de Ao 1660.*  
Hi autem cum & in contrahendis sponsalibus operam  
suam

An proxena-  
ta.

suam sæpe præstare soleant, quæritur an ad probationem admittendi? Videtur affirmanda quæstio, ideo quod quam optimam notitiam habere possint, quousque in tractatibus sponsalitiis conuentum fuerit: At vero eorum testimonium ideo non leuiter suspectum est, quod præsumatur eos potius pro perfectis sponsalibus, quam contra, esse deposituros; cum alias lucrum ipsis promissum, quod *proxenetica*, seu vt Alciatus *dispunct.* L. 1. c. 22. vult, *Proxenetria* vocari solet, Cuiac. L. 11. *obs.* 18., non acciperent; vt adeo propter eorum proprium interesse, quod hic concurrit, admittendi non sint, conf. Cypræus *cap.* 14. n. 8. vbi adducit Baldum & Zasium vt dissentientes. Limitat autem sententiam suam, si pars vtraque consentiat; At vero hoc in omnibus aliis etiam testibus suspectis obtinet, adeoque non est specialis limitatio.

## §. XIX.

An mulieres.

Disputatum etiam est an mulier in matrimonialibus ad testimonium admittenda sit. Sunt qui illam non admittunt, ideo quod causæ matrimoniales comparerentur criminalibus, in his vero non admitti mulieres, ob imbecillitatem sexus, inde nec apud Hebræos ad testimonium admissos esse Joseph. *Lib.* 4. *Antiqu.* c. 5. testatur quam sententiam etiam Platonem secutus est L. 1. *de Legibus* nisi XL. annum excesserit. Verum, quicquid sit, non potest imbecillitas sexus impedire vsum sensuum, testes enim tantum de sensu suo deponunt; cum itaque hodie in genere admittantur mulieres, etiam in criminalibus L. 18. *ff. de Testib.* Farinac. *de Testib.* qu. 59. n. 17. Mascard. *de Probat.* concl. 762. n. 11. sine

ne dubio etiam in matrimonialibus earum plene probat testimonium. Farinac. *cit. l. n. 33*. Ioh. Campegius *de testib. reg. 125*. Cypræus *c. l. §. 7*.

## §. XX.

Interim tamen plena hic probatio requiritur, & <sup>Quot testes requirantur.</sup> sic duo testes omni exceptione maiores sufficiunt, cum certus uumerus ceu in testamento, hic non sit determinatus, hinc, uti in criminalibus, ita hic etiam duo testes ad probanda sponsalia sufficiunt: hoc vero omni plane fundamento destituitur, quod Cypræus asserit *cit. l. §. 8. n. 2*. plus credendum esse testi vni pro matrimonio, quam pluribus contra testantibus, & Felinum ac Hostieussem pro illa sententia adducit; fluit enim illa sententia ex ficto illo favore matrimonii, cuius causa ab omni regula recedi posse falsissime sibi persuadent nonnulli, prout iam supra pluribus hac de re dictum est.

## §. XXI.

Ex hoc eodem fundamento verum est, quod <sup>Etiã post publicationem attestacionum noui testes produci possunt.</sup> Cypræus *ibid. n. 3*. subiungit, hoc etiam speciale in causis Sponsaliorum esse, ut post publicationem attestacionum & conclusionem in causa alios etiam testes producere liceat; scilicet ne villo modo res dubia maneat, an etiam reuera sponsalia contracta, an secus; cum & proinde sententia in matrimonialibus non possit transire in rem iudicatam. Hoc ergo idem fermeutum Pontificiorum redolet, quod iterum illam restrictionem addat, *pro matrimonio, non contra matrimonium*. Cur enim non contra matrimonium? Cautius & me-

& melius est, secundum illud vulgatum iuris assertum, rem intactam relinquere, quam post vulneratam causam remedium quærere, maius alicui præiudicium inferri potest per compulsionem ad matrimonium, quam per dissolutionem sponsaliorum.

## §. XXII.

Testes iam  
producti re-  
peti possunt.

Sed & hoc singulare est, quod testes iam producti & examinati, pro eruenda eo magis veritate, repeti, & de nouo produci & examinari possint, Cypræus *cit. l. n. 4.* non vero vt ipse existimat pro matrimonio tantum, sed & contra, ex hoc modo adductis rationibus & fundamentis.

## §. XXIII.

Quomodo per  
scripturam  
sponsalia pro-  
bentur.

Altera species probationis est, quæ fit per instrumenta, quæ si super ipso negotio rite confecta, plenam faciunt probationem, imo & sola scriptura priuata, non quidem pro scribente, bene tamen contra illum plene probat. Quod si ergo quis per scripturam se alteri foeminae obligauerit, quod ipsi perpetuo fidelis esse, nullamque aliam amare velit, hoc ipso quin sponsalia probari possint, nullum dubium est. Maxime prout quandoque fieri solet, si & proprio sanguine chyrographum scripserit, vt ex Responso illustri Facultatis Iuridicæ, in fine adiecto pluribus apparebit.

## §. XXIV.

Sponsalia in-  
ter absentes  
initia per li-  
teras probari  
possunt.

Ita etiam probatio fieri potest per scripturam, quando sponsalia, quod sæpe fit, inter absentes contrahuntur, vbi ex literis facillime probari possunt, cuius

cuius rei exempla varia ex antiquitate adducit Cypræus *cit. cap. 9. §. 20.* Quod quidem negotium communiter per literas inter parentes tractari solet, sed nullum est dubium, quin etiam inter personas sui iuris idem fieri possit: ubi eiusmodi Epistola plenam facit probationem, etiam si sine die & consule, seu dato scripta Cypræus §. 23. *L. fin. ff. de Sponsal. L. 5. ff. de ritu nupt. cap. fin. de Proc. in VI.*

## §. XXV.

Hic autem grauis oritur quæstio, inter Dd. valde disputata, si quis desiderium suum feminae cuidam per literas exposuerit, & quod animus ipsi sit, eandem matrimonio sibi iungeudi, declarauerit, an antequam illa ad propositum suum responderit, poenitere possit. Aut si quis a parente petat filiam, pater vero dilationem petat ad quatuordecim dies, sponsor autem lapsum termini recedere possit? Sunt hic rationes non leues ab utraque parte. Qui pro negatiua pugnant, vrgent, hoc casu videri mulierem ludibrio haberi, atque sic in dolo esse illum, qui sibi eam sponsam petiit, dolum autem nemini debere patrocinari; esse hoc negotium magni momenti, ad quod summa cum deliberatione accedendum sit, quod itaque semel placuit postea non displicere debet; leuitatem summam esse, mulierem per literas petere & inuitare, & antequam respondeat, animum iterum mutare, vid. Cypræus *cit. cap. 9. §. 22.* Contra vero qui a proposito recedi posse asseruunt, & ita affirmatiuam tuentur, his potissimum nituntur rationibus: contractum non vnius sed vtriusque consensu perfici, antequam ergo alter consensum suum declarauerit, nondum adesse obligationem, & sic adhuc permissum esse ab instituto desistere, neque hoc in alterius tendere præiudicium,

An ante de  
clarationem  
alterius poe-  
nitere liceat.

Rationes ne-  
gantium,

Rationes affir-  
mantium,

cum mulieri nullum adhuc ius quæsitum sit: ponderatis autem vtriusque sententiæ rationibus, mihi tamen videtur præferenda esse sententia posterior idque ex ipsa æquitatis ratione. Notum enim est ex praxi, vtut hoc negotium omnino arduum sit & summa deliberatione ineundum, plerosque tamen vt plurimum sine sufficienti deliberatione, cæco impetu & amore, forma virginis vel diuitiis, vel ob speratum inde honorem ductos ad sponsalia festinare, vnde si forte errorem cognoscant, & infelix inde matrimonium metuant, ac ideo ante declarationem fœminæ recedere velint, sine dubio magnum pro se fauorem habent.

## §. XXVI.

An literæ amatoris sponsalia probent.

Hac occasione dicendum etiam est de literis amatorijs, quibus solent iuvenes & fœminæ amorem sibi invicem declarare, omnemque fidelitatem promittere, an ex illis sponsalia probari possint? At vero non licebit ad hanc quæstionem absolute respondere, quandoque omnino sponsalia ex illis probari possunt. Itaque distincte hic agendum est, & primo considerandæ sunt personæ, quæ eiusmodi commercium literarium inter se habent, deinde ipse tenor literarum inspiciendus.

## §. XXVII.

Sine consensu parentum non valet promissio literis facta.

Quod ergo ipsas personas concernit, inter quas eiusmodi est literarum commercium, illæ aut sui iuris sunt, aut alieno iuri subiectæ, hoc casu nulla valet promissio literis facta, quia iis non concessum est sine consensu parentum sponsalia contrahere, etiam si iuramento fuerint confirmata, quia hoc ipso non possunt iuri

iuri parentum, imo & publico derogare. Imò & patre deficiente, si matris consensus, qui moribus requiritur, deficiat, nulla ex promissione literis facta nasci potest obligatio.

## §. XXVIII.

Ista vero exceptionem patiuntur, si parentes sci- Aliud si tacite consenserunt.  
verint illud commercium literarium, literas etiam amatorias iegerint, & tamen non contradixerint, tum en in fine dubio consensisse videntur, secundum illam notissimam regulam in *Cap. Qui tacet 43. de R. I. in 6.* quæ maxime locum habet in casu, vbi quis contradicendo actum impedire potuit & debuit. Huc etiam pertinet casus, si mater patre mortuo sciuerit illam familiaritatem & plane ad puellam scripserit & eam filiam in literis vocauerit, vti constat ex Responso in fine dissertationis adiecto.

## §. XXIX.

Quod si ergo tales sint personæ, quæ suæ iuris Non probant nisi expressam faciant sponsaliorum mentionem.  
sunt, atque adeo sponsalia contrahere possunt, nunc etiam ad tenorem & contenta eiusmodi literarum respiciendum. Nam non semper ex eiusmodi literis probari potest, contracta inter eos esse sponsalia: sæpe enim inter personas diuersi sexus eiusmodi literæ variis blandimentis & contestationibus amoris aliisque eiusmodi illecebris refertæ, vnde tamen non constat an etiam vera sponsalia intercesserint.

## §. XXX.

Hac occasione illa quoque tangenda quæstio, num An ex literarum receptione probari possit consensus.  
accipiens literas amatorias, in quibus agitur de promissione matrimonii facta, si non contradicat, sed taceat, eo ipso consensisse videatur? Affirmat hoc Petrus Mullerus in *Diss. de literis amatoris th 22.* vbi has ratio-

nes adducit, quod, licet in præiudicialibus taciturnitas & patientia nequeat operari consensum, quoniam tamen matrimonium etiam sine verbis contrahi potest, nec de substantia matrimonii verba sint, quod in muto & surdo patescit, hinc taciturnitatem illam inducere consensum & ratihibitionem. Verum facile vnusquisque animaduertit, rationes has nullius momenti esse, nam matrimonium sine verbis potest contrahi, si ex aliis actibus & signis de voluntate contrahentium constet, quod & in muto & surdo locum habet, sed hic nullum aliud signum adest, ergo sola acceptatio literarum, quamuis ad ea non responderit, non facit præsumtionem consensu. Videtur id agnoscere Mullerus, inde subiicit, non excludi hoc ipso arbitrium iudicis, quanta ex ista taciturnitate oriatur præsumtio. Sed quomodo nunc iudex arbitrari debet. Existimo duos separandos esse casus, an quis per literas amorem suum fœminæ declarauerit, sibi tanquam futuram coniugem expetierit, *Wenn er die Anwerbung gethan*/ hoc casu licet has literas puella acceptauerit, legerit, & non ad eas responderit, nec minima tamen præsumtio exinde contra eam nasci potest; alius vero est casus, si in literis illis sponsaliorum iam inter illos contractorum mentio fiat, tum non dubium est, magnam inde nasci præsumtionem, si adhuc tacuerit. Plura qui de literis amatoriiis desiderat, adeat *Dissertationem Mulleri* antea citatam, pro instituti ratione hæc sufficere poterunt.

## §. XXXI.

An per delationem iuramenti probationi fieri possit.

Postquam de probatione per confessionem, per testes, per instrumenta seu scripturam actum est, nunc etiam



etiam de probatione per delationem iuramenti ut agam, ordinis ratio exigit. Solet autem iuramentum deferri vel a parte in iudicio, vel a iudice ob defectum probationis. Prius ergo videamus, an locus sit delationi iuramenti? Equidem videtur nullum hic subesse dubium, quia omnibus permissum est actoribus in quacunque causa deferre iuramentum, ipsumque adeo in propria causa iudicem constituere. Et tamen <sup>Negantium rationes,</sup> plerique Dd. non tantum Pontificiæ, sed protestantium religioni addicti, hoc in casu allato non admittunt, sed tantum quando affirmanti sponsalia contracta esse iuramentum defertur, siue, ut loquuntur, valet iuramenti delatio pro matrimonio, non contra, idque ex variis rationibus, quarum præcipuæ hæc sunt, quod magnus fauor sit matrimonii, illudque indissolubile, nec per delationem iuramenti alterius arbitrio relinqui possit, an ab eo recedere velit, hinc nec ullam valere contra matrimonium transactionem, Carpz. *Iprud. For. P. 1. C. 12. def. 30. & Iprud. Eccl. L. 2. d. 233. & L. 3. def. 44. Brukner. Decif. matrim. c. 2. 4. Cypræus de iure connub. c. 14. §. 18. Ioach. de Beust. de iure connub. P. 1. c. 47. alique.*

## §. XXXIII.

Verum nititur tota hæc sententia falso pontificio- <sup>Sententia affirmantium,</sup> rum asserto, quod matrimonium sit sacramentum, cuius iam supra mentio facta, hinc nihil admittere volebant Canonistæ, quod vlllo modo illud impedire posset, interim nostri impronide illos secuti, non considerando fontes, vnde ille fauor matrimonii fluxerit, cum tamen matrimonium sit res admodum ardua & periculi plena, ut iam supra diximus. Deinde confun-

fundunt sponsalia cum matrimonio, concedi enim potest, non licere per delationem iuramenti rescindere matrimonium iam contractum, nec valere transactionem ad rescindendum matrimonium; sed longe alia ratio est, quando agitur de sponsalibus non dissoluentibus, sed tantum ad probandum, an reuera sponsalia contracta fuerint, an fœcus, hinc etiam per transactionem a sponsalibus recedere, utique licet vid. B. Dn. Strykius *de disseusu sponsalitis Sect. II. per totam.* Scilicet matrimonium est indissolubile, sed non sponsalia, ab his ergo recedi potest, non ab illo, hic res ubi uis integra, ibi non, nec post contractum matrimonium omnia in pristinum statum restitui possunt, cum per coniunctionem carnalem iam unio carnis contracta, quod fundamentum est indissolubilitatis: quæ omnia sine dubio cessant in sponsalibus, non ergo debet argumentum formari, a diuersis ad diuersa. Plura hac de quæstione non addo, cum de ea iam ex professo egerit Dn. Præses in *speciali Dissertatione de delatione iuramenti in matrimonialibus*, quæ habetur inter *meletemata Eius de iuramentis N. IV.*

## §. XXXIV.

De iuramento  
necessario  
Doctorum  
dissensus.

Sequitur iuramentum necessarium quod iudex parti defert ob inopiam probationis, ubi illi, qui semiplene probauit suppletorium, si vero nec semiplene probatum alteri purgatorium defert, ut se purget iuramento ab indiciis ex probatione licet non semiplena contra se militantibus. Hic autem primo omnium iterum pro fundamento habent, quod si pars sponsalia vel matrimonium promissum vel contractum non esse, iurare parata sit, non ei deferendum iuramentum

tum suppletorium a iudice, etiamsi testem haberet vnum omni exceptione maiorem, quo casu alias locus est iuramento, Cypræus *de iure connub. c. 14. §. 18.* ad mitti tamen hoc, si actor in fauorem matrimonii se offerat ad iuramentum suppletorium, & sit vir frugi, qui apud omnes integritatis opinionem & laudem habeat: Ast non conueniunt inter se Dd., quidam enim suppletorium iuramentum plane non admittunt, vt Ioach. de Beufft. *de iure connub. p. 1. c. 41. ex ratione,* quia matrimonium causæ æquiparatur criminali, vbi probationes luce meridiana clariores requiruntur, idem statuit Carpzovius *Iurisprud. for. p. 1. c. 22. d. 3. n. 3.* ex ratione, ne reus nolens volens, si actor iurauerit, in matrimonium detrudatur contra libertatem matrimonii; & tamen hoc iuramentum est pro matrimonio, non contra. Imo hoc mirandum, quod Carpz. *in eadem definitione n. 4.* reo permittat purgatorium, quod est contra matrimonium. Ita ergo iuramentum delatum a parte non valet, si tendat contra matrimonium, valet tamen purgatorium, quamuis hoc etiam tendat contra matrimonium. Idem cum Carpzovio statuit Ioach. de Beufft. *cit. tr. c. 48.* vbi plures adducit formulas, ubi reus admittitur ad purgatorium etiam in illo casu, si fateatur stuprum, & neget promissionem matrimonii. Adeo Doctores hac in parte sibi ipsis non constant. Vnde & recte a communi Doctorem sententia recedit Brouwerus *Tr. de iure connub. l. 1. c. 23. n. 21. seqq.* vbi & ostendit, errorem inde provenisse, quod confundantur sponsalia cum nuptiis, nulla, inquit, *hodie sponsalia, licet verbis de presenti concepta, nuptias constituunt*, vt nullus, ne forte se-

D

pare-

paretur matrimonium, hodie possit esse metus conf.  
Dn. Præses cit. *Diss. de delat. iur. in matrim.* §. 27. & 28.

## §. XXXV.

Vera senten-  
tia.

Vt itaque quid tandem dicendum addam, ita existimo, quibus casibus in aliis causis iuramentum necessarium deferri solet, hic etiam deferendum esse. Ita tamen ut facilius purgatorium reo iniungat, quam actori suppletorium, quia res maximi præiudicii, alterum compellere ad matrimonium ineundum, ceu & ipsi Dd. ante citati, qui tamen tantopere pro favore matrimonii pugnant, farentur.

## §. XXXVI.

An per præ-  
sumptiones  
possit fieri  
probatio.

Iam ad quintam probationis speciem me converto, scilicet quæ fit per præsumptiones, ubi primo hæc quæstio præiudicialis est, an valeat hic probatio per præsumptiones? quæ prima fronte neganda videtur, cum enim causæ matrimoniales criminalibus comparari soleant, & in criminalibus ex præsumptionibus nemo condemnandus sit, sed probationes luce meridiana clariores requirantur *L. fin. C. de probat.* hinc idem etiam hic locum habere debere. At enim vero plerique tamen Dd. in ea opinione sunt, in defectu alterius probationis, recurrendum esse ad præsumptiones, non ut sufficiant ad condemnationem, sed quod tamen aliquam faciant probationem & indicia, ubi & in criminalibus non omnes præsumptiones & indicia negliguntur ac reiiciuntur, cum tantum effectum habeant, ut non quidem ad condemnationem, bene tamen ad torturam sufficiant.

## §. XXXVII.

## §. XXVII.

Circa hunc autem probandi modum bene notandum est, eiusmodi præsumptiones nasci ex certis actibus & signis, ubi requiritur, ea ita comparata esse debere, vt si non directo exinde sponsalia probari possint, tamen valde probabiliter, & ex iusta ratione ad sponsalia inde concludi possit. Deinceps nec ex vna harum præsumptione probatio desumi potest, sed si plures diversæ præsumptiones concurrant, simul iunctæ aliquam faciunt probationem, secundum illud vulgatum: quæ non iuuant singula, iuncta iuuant. Tandem vero & hoc præmonendum, non sufficere præsumptiones, vt quis compelli possit ad matrimonium ineundum, nec plenam facere probationem, eum tamen effectum habere, vt vel purgatorio vel suppletorio iuramento locus esse possit.

*Quid ad eam  
requiratur.*

## §. XXXVIII.

Neque tamen omnes præsumptiones & indicia, quæ ex his vel illis circumstantiis oriuntur, eiusdem valoris sunt, sed multum inter se differunt. Alia enim sunt indicia proxima, alia remota. Illa sunt, quæ valde probabiliter concludunt ad sponsalia; hæc autem, quæ non nisi indirecte præsumptionem inducunt, & sæpe fallere possunt, vti ex subiectis exemplis patebit.

*Indicia sponsaliorum vel remota sunt, vel proxima.*

## §. XXXIX.

Vt ergo a proximis iudiciis incipiamus, quaritur primo de concubitu, in casu scilicet, si puella prætentat, reum cum ea sub promissione matrimonii

*Ad proxima  
refertur concubitus.*

concubuisse eamque imprægnasse, ipse vero fateatur concubitum, sed neget promissionem matrimonii, an ex hac confessione nascatur præsumtio promissi matrimonii? Hic vero distincte respondendum est, an æqualis, vel saltem non plane inæqualis sit utriusque conditio, tam ratione personarum, quam bonorum & aliarum qualitatuum, an vero omnino sint disparis conditionis, & scæmina, vilis, inhonesta, aut alias suspecta. Illo casu præsumtio est contra eum, qui concubitum fatetur; cum præsumtio iuris sit delicti exclusiva, & ita non præsumatur puella concubitum admisisse, nisi sub spe promissi matrimonii, ita ut hæc præsumtio si aliæ circumstantiæ concurrant, eum effectum habere possit, ut reus iuramento se purget. Hoc vero casu nulla inde nascitur præsumtio promissi matrimonii, nec meretur præsumtionis favorem, extra matrimonium reprehendenda scortatio, reipubl. enim interest, hanc ianuam non aperiri, ne viles & nullius conditionis virgines studeant nobilibus & honesto loco natis adolescentibus inter suavia & amoris lenocinia oblaro concubitu, verba quædam sponsalia inferentia extorquere, quæ postea sedata libidine, illi negare iureiurando non auderent: sunt verba Brouweri *Tr. de iure connub. L. 1. c. 23. n. 25.*

## §. XL.

Appellatio  
sponsi & sponsæ.

Maior præsumtio nascitur ex eo, si duo se invicem sponsum & sponsam appellant, cum non præsumendum sit eiusmodi appellationem permissuram fuisse puellam, si non inter illos sponsalia intercessissent. Cypræus *de iure connub. cap. 14. §. 14.*

## §. XLI.

## §. XLI.

Inter illa, quæ a desponsatis sibi invicem præstata- Annuli datio  
ri solent in signum desponsationis & mutui amoris,  
annulus est, hoc enim communi consuetudine Ger-  
maniae primum esse solet post promissionem factam,  
antequam etiam publica contracta fuerint sponsalia,  
vnde annulus *pronubus* vocatur, quia ante nuptias dari  
solet: quæritur itaque, annon exinde præsumtio ali-  
qua nascatur? Affirmant id Dd. vid. Cypræus *cit. c. 14. § 12.*  
Verum existimo per se inde nullam nasci præsum-  
tionem, verum si familiaris conuersatio accesserit, iu-  
venis scæminam vt sponsam tractauerit, & alia admi-  
nicula concurrant, tum vtique præsumtionem facit,  
conf. Brouwer *Tr. de iure connub. cit. cap. 23. n. 17.* Im-  
primis vero, si annulus datus non sit leuioris pretii,  
sed, respectu illius qui dedit, alicuius momenti, cuius-  
modi annulus dari non solet simplicis amoris causa,  
quod si & puella ex sua parte vicissim aliquid, quod non  
exigui pretii est, donauerit, non leuis inde initorum  
sponsaliorum nascitur præsumtio de quo casu pariter in  
responso subiecto actum est. Ceterum conferri hic  
meretur Petrus Müller *de annulo pronubo spec. Diss.*

## §. XLII.

Inter remotiora indicia refero, osculû si quis puellæ Ad remotiora  
dederit, cum exinde non statim præsumatur animus pertinet oscu-  
sponsalia cum scæmina contrahendi; Distingui in gene-  
re oscula solent in oscula reuerentiæ, benevolentia & luv.  
& amoris. Nos ergo de his agimus. Hæc autem itidem diui-  
di solent in honesta & libidinosa; honesto & licito osculo  
apud

apud solos coniuges locum esse, ut etiam desponsatæ excludantur personæ, quia oscula fiunt in præludium concubitus, & cum hic ante benedictionem sacerdotalem prohibitus sit, cessare etiam debere actum ad eum disponentem, existimat Romanus *spec. diff. de osculo* §. 15. Sed nimis rigida est hæc philosophia, neque enim oscula semper dantur ea intentione, ut sint præludium concubitus, & cum inter personas desponsatas licitus sit amor & honestus, cur oscula sibi inuicem in signum amoris dare pro illicito haberi debet. Cum itaque tale quid tantum inter coniuges aut desponsatos liceat, quæritur annon exinde nascatur præsumtio contractorum sponsaliorum. Hic vero ante omnia ad mores Prouinciæ respiciendum est. In multis enim locis oscula tantum benevolentia signa sunt, ut in multis Belgii locis. Hinc Brouwerus *Tr. de iure conub. cit. c. 23.* oscula, inquit, *notis Batavis humanitatis & mutua benevolentia signa sunt, non libidinis anee cænia, non adulterii, vel stupri procemia, non prænuncii flagitii blanditiæ.* Oscula creduntur ab honestis amantibus figi puellis Batavis, ut & basia, non vero suauia: inter quæ hanc differentiam Donatus statuit, quod oscula officiorum sint, basia pudicorum affectuum, suauia libidinum: Nec adeo Zelotypi suspiciosi ac male feriat sumus, ut quadam gentes, quibus intacta non creditur virgo, quæ sibi osculum figi passa est, quasi basia nec accipi, nec dari possent, nisi a luxuriante & lasciuo animo. Interim tamen cum hic mos non vbiuis receptus sit, oscula sibi inuicem dare testatur ad minimum de amore eorum inter se; vnde quidem directo non fluit, quod sponsalia contraxerint, sed si tamen aliæ præsumptiones concurrant, fami-



familiaris conversatio & similia, præsumptiones illas hæc augere potest.

## §. XLIII.

Circa reliquos actus ex quibus quædam præsumtio nasci possit, nolo hærerè. Pertinet huc conversatio, & maxime solitaria, unde quædam oritur, quod habuerint intentionem matrimonio se jungendi. Verum hæc, ut & aliæ quæ concurrere possunt indicia, iudicis arbitrio vnicè relinquenda.

Conversatio solitaria.

## §. XLIV.

Hoc vnicum adhuc considerationem meretur. Si causa sit dubia, & iudex pro actore & reo pronunciare possit, v.g. illi suppletorium, & huic purgatoriū deferendo, in quâ partem potius inclinare debeat? Quod si secundum principia Pontificiorum & nostrorum Doctorum hæc quæstio decidenda, sine dubio dicendum esset, quod iudex potius pro matrimonio quam contra illud iudicare debeat. Interim tamen non dubito propter maximum illud præiudicium quod ex ipso matrimonio retundat, maxime si inuiti ad id ineundum compellantur, contrarium defendere, idque rationibus non meis, sed Brouweri *de iur. Connub. cit. cap. 23. n. 5.* vbi hæc verba habet: *Ille me sibi addictum habebit, qui existimauerit, multum hac in re a iuris Canonici doctrinæ mores nostros recessisse. Etenim gradus dumtaxat & via ad nuptias contrahendas hodie nostra sponsalia sunt, etiam si quoque verbis præsentis temporis concepta sint; nuptiæ ipsæ non sunt, quas respiciunt saltem futuras, non constituunt nec operantur, ut hodie metus nullus esse possit*

In dubio an pro matrimonio an dicandum.

(cui

(cui præcipuo fundamento innititur ius Pontificium) dissolutis sponsalibus dissolutum iri contra Christi doctrinam contractum matrimonium. Et post aliqua, Favendum quidem, inquit, matrimonio contracto est, sed non ita contrahendo, & vix dissolvendus indissolubilis natura sua coniugii nexus, nec in duo discerpenda vna caro nisi ob gravissimas rationes: Sed & non facile, imo nunquam, invitum non iuncti coniungendi sunt, nec in vnam carnem cogendi, quos diuersos & distinctos retinet animorum dissensus, tum propter oneris gravitatem, tum propter inauspicati matrimonii metum.

## §. XLV.

Colophonis vice liceat adhuc subiicere sententiam ab Illustri Collegio Iuridico huius loci hoc anno conceptam, cum in rationibus eius varii casus huc pertinentes simul deciduntur. Et his verbis concepta est:

Facti species.

Hat Titius im Nahmen seiner Tochter Amaliæ wieder Sempronium Klage erhoben/ daß dieser seine Tochter zu heyrathen gesucht/ und Klägern deßhalb umb seinen Consens angesprochen/ auch zu dem Ende seine Mutter an den Ort kommen lassen/ und sich beyde Theile miteinander versprochen / Er / Sempronius auch der Amaliæ zum Nahlschaf einen Diamant-Ring / Sie hingegen ihm 2. Diamantene Handknöpfe/ und eine Diamantene Hemdschnalle geschencket/ er auch noch dazu sich mit einem Eyde ihr treu zu seyn/ verbunden/ und gleichwohl vor 2. Jahren davon zurück treten wollen; hat Beklagter hingegen da wieder eingewendet / daß er niemahls sich mit Klägers Tochter ehelich verlobet/ und obwohl etwas unter ihnen da-

vor

von vorgegangen/ er doch / da seine Mutter nicht darein  
 consentiren wollen/ billig davon abtreten können/ er auch  
 deshalb / was sie ihm geschencket/ nebst ihren Briefen zurück  
 geschickt/ so auch Klägers Tochter angenommen / folglich  
 solches/ wenn auch dergleichen vorgegangen/ nur pro spon-  
 salibus clandestinis zu achten / indem / wenn auch seine  
 Mutter darein gewilliget/ doch nicht zwey oder drey Zeugen  
 dabey gewesen/ welches doch in der dortigen Landes- Con-  
 stitution de Ao. 1704. den 2. Jan. generaliter in allen  
 Sponsalibus publicis erfordert wird/ und daher auch diese  
 Sponsalia, ungestandenen falls/ doch pro clandestinis zu  
 achten/ dahero gefragt wird: 1) Ob aus den angeführ- Quæstiones  
 ten erhelle/ daß würcklich sponsalia vorgegangen seyn? o-  
 der

2. Ob deren formalia noch mehrers und was vor  
 Beweiffes bedürffen?

3. Ob solche Sponsalia, wenn sie gleich erwiesen/  
 oder erwiesen werden könnten/ nicht der N. act. 19.  
 befindlichen dortigen Fürstl. Landes Constitution zuwieder  
 seyn?

4. Ob die vom Befl. Sempronio geschene Zu-  
 rucksendung des/ von Amaliae seite empfangenen Præsents  
 von einigen / und was effect sey? oder

5. Ob der animus, welchen man bey dessen Wie-  
 derannehmung von der Amaliae Seite geheget / noch bes-  
 ser zu erweisen und darzubringen sey?

Ob nun wohl/ was die 1 und 2 Frage anlanget Be- Ad qu. 1. & 2.  
Rat. dubit.  
 klager beständig vorgiebt / daß ganz und gar keine Ver-  
 lobung zwischen ihm und der Amalia vorgegangen / und  
 ob sie gleich miteinander bekant gewesen und gar oft ganz  
 allein mit einander gesprochen/ sich auch mit Liebes Discursen

E

unter

unterhalten / er auch / weil sie gar bekannt gewesen / ihre Mutter Mama geheissen / dennoch niemahls die Intention gehabt / sich mit ihr zuverloben / solche Verlobung auch nicht geschehen / noch aus denen mit ihr gewechselten Liebes-Brieffen zu schliessen / hiernächst daß er ihr eine eydliche Versicherung seiner Treue gegeben / von ihm aus Leicht-sinnigkeit geschehen / und sich anbey auff seine Minorennität beruffet / endlich auch / daß solches alles wieder seiner Mutter willen geschehen / und daher / wann gleich dergleichen Verlobung vor sich gegangen / solches doch nicht anders als sponsalia clandestina anzusehen / folglich alles vor null und nichtig zuachten wäre /

Rat. decid.

W. a. d. Beklagter Sempronius nicht in Abrede seyn kan / sondern öffentlich gestehet / daß er mit Klägers Titii Tochter Amalia gar familiar umbgegangen / von verliebten Dinge mit ihr gesprochen / und fast immer alleine bey ihr gewesen / sie einander auch reichlich / und zwar Er Sie mit einen Diamantenen Ring / und Sie Ihn mit 2. Diamantenen Hemdschnallen beschenket / und nicht zuvermuthen / daß dergleichen kostbare präzente aus anderen Absichten / als wegen der unter ihnen vorgegangnen Verlobung geschehen seyn sollten / aus dergleichen ganz familiaren Umgang allerdingz die präsumtion erwächset / daß er sie zu heyrathen gesucht / indem er auch ihre Mutter selbst seine Mama geheissen / und daß eine Verlobung würcklich unter ihnen vorgegangen / aus der mit seinem Blute und so grossen Eydschwühren verfasserten Verschreibung / so er des Klägers Tochter zu einer Versicherung ausgestellt / ganz deutlich und augenscheinlich zuerkennen / auch die hernachmahls an sie geschriebene Brieffe / darinnen er Sie seiner Treue versichert mit mehrern bestärcken / folglich

folglich / was Befl. anführet / daß solches nur ohne Ver-  
bindlichkeit geschehen / und ihm seine minorennität zu  
statten kommen müsse / ganz unerheblich / da er über 20.  
Jahre alt gewesen / und wenn er noch so unverständlich ge-  
wesen keine Kriegs-Dienste bekleiden können / auch bekant /  
quod in matrimonialibus minorennitas gar nicht zustat-  
ten kommen kan / und da er sich auch gar eydlich gegen  
Klägers Ticii Tochter verbunden / auff ihn auch daß zu  
appliciren / was sonst in denen Rechten enthalten / quod  
iuramentum ex minore faciat maiorem.

Auth. *Sacram. puberum l. Si adversus vendi-  
tion. &c.*

Cephal. *Consl. 34. n. 11.*

Brunnem. *add. Authent.*

endlich was den angeführten Mütterlichen dissentium be-  
trifft / Beklagter, Sempronius denselben gar mit  
nichts erwiesen / hingegen / daß siedarein gewilliget / nicht  
unbillig zuschliessen / aus den von Klägern beygelegten  
Brieff / darinnen Beklagters Mutter die Amaliam ihre  
Tochter nennet / auch zulezt vermahnet / nicht gar zu sehr  
der Löffley nachzuhangen / sondern fleißig zu beten / folg-  
lich da des Befl. Mutter vorher 14. Tage in Klägers Hau-  
se gewesen / und nachhero einen solchen Brieff geschrieben /  
ganz kräftig daraus zuschliessen / daß sie solches nicht nur  
müsse gewußt / sondern auch / da sie gar nichts darwieder  
einwendet / consentiret haben. Über dem auch so wohl  
der Kläger selbst eydlich zu erhalten / als auch durch Ise-  
ner andern Tochter eydliche Aussage zu erweisen sich er-  
bietet / daß Befl. Mutter würcklich bey Klägern umb sei-  
ne

ne Tochter angehalten/ und bekant/ daß in matrimonialibus dergleichen testes domestici, wenn keine andere zu haben sind/ allerdings zuzulassen/ über dem allen auch des Bevl. Mutter nunmehr verstorben / und daher die Exceptio clandestinorum sponsaliorum völlig wegfället/ in Betrachtung daß die sponsalia clandestina nicht in se & sua natura nulla sind / indem allerdings naturalis obligatio vorhanden / sondern nur in favorem parentum, daß wieder ihren Willen solche nicht zuzulassen / mithin wann die Eltern gestorben / die ratio prohibitionis cessiret/ folglich Bevl. in dolo ist/ daß er die der Amelia so theuer verschriebene Treue unter solchen falschen pretext brechen will.

Decisio So erscheinet hieraus allenthalben so viel / daß die Sponsalia zur Nothdurfft erwiesen / und allensals zu deren ganz vollkommenen Brweiß klagenden Titii andere Tochter ad Testimonium dicendum zuzulassen.

Ad qu. 3. rat. dubit. Ob nun wohl / anlangend die (3 Frage/ Beklagter Sempronius sich insonderheit auf die Landes Constitution de Ao. 1704. W. Febr. beruffen/ in welcher so gar die sponsalia clandestina verboten zu seyn scheinen/ daß auch solche Sponsalia pro clandestinis gehalten werden / wo nicht 2. oder 3. Zeugen adhibiret / und es daher so scheint / daß wann gleich die Sponsalia zwischen Bevl. und Klägers Tochter zur Gnüge erwiesen / nichts destoweniger wegen dieses Edicti solche Sponsalia vor null und nichtig zuhalten/ indeme/ wann gleich Bevl. Mutter consentiret/ solche Sponsalia nicht in zweyer oder dreyer Zeugen Gegenwart vollzogen.

Weil aber dennoch hieselbst gar wohl zu merken/ daß in vorangezogener Landes Constitution der Casus ausdrückl. ausgenommen / wenn einer dolose unter gemachter Hoffnung

nung und Versprechen der Ehe eine Person induci ret: verb:  
 Sollte sich jedoch begeben / daß eine oder die andere  
 Manns-Person ehliche und ihres Wandels halber un-  
 bescholtene Weibs-Bilder unter gemachter Hoffnung und  
 Versprechung der Ehe zur ungebührlichen Lust zu indu-  
 ciren / und sie um ihre Ehre dolose zubringen sich unter-  
 stehen sollte so soll in solchen Fall auff vorgesezte requisita  
 nicht gesehen / sondern der deflorator nach gemeinen  
 Rechten zur würcklichen Verzehligung condemniret werden.

Und hierbey ex antecedentibus consequentibus leicht  
 zuschließen / daß diese Exceptio nicht so wohl in favorem  
 deflorationis, als in odium dolosorum hominum inno-  
 centes virgines decipientium gemacht worden / und dann  
 auch des Betr. dolus in dieser Sache offenbahr / daß er /  
 ungeachtet aller seiner theuren Versprechungen / ob er  
 gleich des Klägers Tochter nicht defloriret / dennoch auf  
 solche Art / und unter Versprechung der Ehe dolo ma-  
 xime profano, sie zu betrügen getrachtet / überdem auch  
 Ihro Hochfl. Durchl. Herzog Anton Ulrich in einer de-  
 claration de Anno. 1709. von 4. Sept. vorige constitu-  
 tion dahin ausdrückl. erklären / daß sie nicht also auszule-  
 gen / daß auch in dem casu, wenn die Eltern eingewilliget /  
 und die verlobte solches nicht abläugnen können / und sich  
 solches in allen Stücken hieselbst befindet / auch nicht hin-  
 dert / daß solche déclaration an die Regierung nach Blan-  
 ckenburg geschicket / indeme daraus deutlich voluntas ipsi-  
 us Legislatoris erhellet / in mehrerer Erwägung / daß auch  
 solche declaration denen Rechten gemäß / da ad sponsalia  
 publica nur die Zeugen erfordert werden / wenn die con-  
 trahentes keine Eltern mehr haben / im Gegentheil wenn  
 Eltern haben / deren Consens ad sponsalia publica genug ist.

Struv. Iprud. L. 1. Tit. 6. §. 3.

E 3

Endlich

Endlich bey der Erörterung der vorigen Frage satzsam angezeiget/ daß wann es gleich diesen Gründen allen ungeachtet/ pro clandestinis sponalibus zu achten weren/dennoch durch den Todt des Bekl. Mutter convalidiret werden.

So sind daher diese Sponalia der N. act. 9. angeführten Landes Constitution nicht zuwieder.

Was nun letzters die 4. und 5. Frage anlanget/ ad Qu. 4 & 5. so scheinet zwar anfangs/ daß indem der Bekl. die von Klägers Tochter erhaltene Demantene Handknöpfe und Hemdschnalle nebst denen Liebes-Brieffen ihr hinwieder zugeschicket und ihr alles aufsagen lassen/sie auch solche angenommen/ sie dadurch allen ihren Rechten renunciiret/ und also die Sponalia auffgehoben worden/ oder zum wenigsten noch besser zu erweisen/ quo animo sie solches wieder genommen.

Weil aber dennoch durch obgedachte Zurücksendung der ihr geschenckten sachen zwar des Bekl. Gemüth an den Tag geleget wird/ daß er dem ganzen contract renunciiret/ hingegen/indem Klägers Tochter seinen ihr geschenckten Diamantenen-Ring nebst denen von ihm geschriebenen Briefen nicht wieder geschickt/ folglich/ daß sie von ihrer seite von der unter ihnen gemachten Verbindung nicht abgehen wolle/ in der That bezeuget/ und auch über dem eine nicht unerhebliche Ursache anführet/ warumb sie diese Stücke/ so ihr durch einen ganz unbekanntem Menschen gebracht/ nicht wiederzurück schicken wollen/ und daher keines ferneren Beweises/ quo animo sie dasselbe angenommen/ von nöthen/ cum ex ipso facto adpareat, und allenfals nicht anders/ als durch ihre eydliche Bestätigung heraus gebracht werden könnte.

So



So erscheint hieraus allenthalben soviel / daß die Decisio:  
 von Sempronio gethane Zurücksendung derer Stücke/  
 so er von Klägers Tochter Amalia geschicket bekommen/  
 keinen effect habe / sich von der obligation, damit er ihn  
 verhasstet / zu liberiren / noch viel weniger nöthig / des-  
 halb ferner / quo animo es Klägers Tochter an-  
 genommen / zu untersuchen. Alles

B. N. B.

**S**Itandem meritis *BLESIERE*  
*capessis honores,*  
*Doctrinæque Tuæ præmia di-*  
*gna refers;*  
*Gratulor inceptum faustum, fructus-*  
*que laborum :*  
*Hæc via maioris prosperitatis*  
*erit.*

Hæc gratulabundus scrib.  
*PÆSES*

NO.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DN. CANDIDATO

S. P. D.

CHRISTIANUS WOLFIVS.

Mathematicum Professor Publicus Ordinarius, Societatis Regiæ Britannicæ & Societatis Scientiarum Regiæ Borusicæ Sodalis.

**N**on opinione, *Amice suavissime*, nec arbitrio, sed natura constitutum jus est. A Juris ergo scientia multum abesse censendus, qui populorum scita nosse contentus, rationes legum ex suo fonte derivatas non attingit. Ipsa autem rerum natura, fons legum verus omni ævo visa, quotquot mentis oculo perspicacius videre datum. Et quamvis naturam rerum in decreto Numinis arbitrario quærar vulgus, ante pedes posita, quo procul remota sunt ratum; in divino tamen intellectu, antequam voluntati approbata concipitur, eandem perspiciunt, qui natura non prorsus inuita, interiora rerum rimantur. Nimirum nec est quicquam, nec esse potest, cujus non detur ratio, cur esse possit, nisi Ens a se. Quamobrem in hujus attributis rationes rerum ultimæ continentur, & quæ esse possint, cognoscit Deus, dum adæquatam sui ipsius notionem intuetur. Placent, quæ optima deprehendit: movet tandem voluptas ad decernendum. An itaque justum dices, quia Deus voluit? Neutiquam: dicendum enim: voluit Deus, quoniam justum. Quod si ignorantia, præjudicia & affectus non in transuersum  
ra-

21.  
raperent animos legislatorum in genere humano; nã illi  
in ferendis legibus Numen Sapientissimũ u n idemque opti-  
mum presso pede secuti, quæ cognita atq; perspecta indoli  
rerum apprime conveniunt, semper decernerent, hoc est,  
leges non tam ferrent, quam ab infinitis retro tectis a Na-  
tura latas, quo opus est tempore, promulgarent. Hinc  
non mirum, quod olim leges laturi Philosophos, hoc est, vi-  
ros, quibus Natura, Deus atque Rerum Ordo cognitus  
credebatur, consuluisse ferantur; quanta proh Jovah! in-  
genii vis, quanta rerum divinarum & humanarum notitia  
requiritur ad doctrinam legum solide percipiendam. So-  
lida vero legum notitia opus existimo, si quis inter juis pe-  
ritos doctus haberi velit, nomine *Doctoris* a vulgo, quæ-  
dam populorum instituta panis (quod ajunt] lucrandi ergo  
memoria tenente, distinguendus. Num enim Tibi per-  
suaseris, Candidate doctissime, doctrinam juris solidam  
hauriri, si quis Romanæ Gentis scita unius alteriusve anni  
spatio interpretari audiverit, ea vero studia prorsus negle-  
xerit, quæ in perficiendo ingenio judicii que acumine, ex  
veterum unanimi sententiã, punctum omne ferunt, qui-  
busque plurimum in ea re tribuunt; quotquot ætate no-  
stra ingenii ac judicii vi præstantes celebrat orbis eruditus,  
immo (quod in fatiis esse dolemus) naturæ ac ordinis re-  
rum cognoscendis opere nihil impenderit? Minime gen-  
tium. Aliud Tibi persuasum intelliget, qui vel hoc unum  
consideraverit, quod non per triennium, sed per sexennium  
integrum in Academiis commoratus fueris, ut tot tantis-  
que discendis sufficiens tempus ne deesset. Dignus igitur,  
qui studiis, idem & nomine a vulgo distinguaris quique for-  
tunam in patriam redux faventem experiaris: id quod sin-  
cero cordis affectu apprecor. Vale. Dabam e mu-  
seo meo d, XI. Kalend, Maji, Anno salutis MDCCXI.

F

Co-

**C**opia non cuius celebrem datur  
ire Corinthum:  
Ast Te BIESTERUM fors ea  
clara tenet.  
Hinc etiam magni Tibi debentur ho-  
nores,  
Et vota, ut Patriam commoda  
tua beent.

Hicce Auditori quondam suo soler-  
tissimo, nunc Amico integerri-  
mo, in illustri Fridericiana pro-  
meritum in Jurisprudencia Bra-  
bæum petitorio gratulatur, ac  
quævis prospera apprecatur.

*Andr. Götsche,*  
D. P. P.

---

*Clarissimo DN. CANDIDATO*

S. P. D.

Justus Henningus Bœhmer D.

P. P. & Facult. Jurid. Ass.

**I**ra comparatæ sunt res hominum, ut ex du-  
ris gloria nascatur, & per aspera ad astra ten-  
datur.

101.  
datur. Est ars longa, quotidie adhuc aliquid  
addiscendum & ipsum studiorum iter variis  
obnoxium est fatis, ut non sine sudore perficia-  
tur. Interim qui indefesso studio hoc iter cal-  
cant, tandem metam speratam attingunt, &  
fructus laborum suorum egregios percipi-  
unt. Eadem proemia laborum tuorum, Can-  
didate clarissime, sese Tibi hoc die offerunt,  
quo ascendis cathedram, & pro impetrandis  
in utroque iure summis honoribus alacriter  
pugnas. Superasti feliciter tot labores, qui  
iis imminent, qui ad hanc metam tendunt, &  
iter studiorum tuorum in Academiis ita perfe-  
cisti, ut iam portum e mari prospicere possis.  
Non potui itaque facere, quin gratulatione  
mea tibi ostenderem, me insignem ex his fe-  
licibus studiorum tuorum successibus perce-  
pisse iucunditatem, quos ut porro Deus cle-  
mentissime secundare, tibi que quævis prospe-  
ra elargiri velit, sincera mente voueo optoque.  
Dab. d. XX. April. MDCCXI.

*Dif.*

**D**ifficilis via virtutis, sed ducit ad  
astra

Nominis aeterni magna trophea  
parat.

Dum frontem doctam Titan prae-  
cingit honore.

Gratulor ex animo dulcis Amice  
**TIBI.**

Namque Tuum studium meruit prae-  
stantia dona.

A Themidis doctis quæ tribuenda  
viris

Perge tuas laudes insignes reddere  
doctis

Factis, ut vireat fama decusque  
**TUUM.**

*Hisce Doctissimo Domino Candidato  
gratulabundus adclamat, omniaque  
fausta precatur*

*W. C. Wesener.*

*J. U. C.*



ULB Halle

3

001 871 331



56.









574  
1711 1792 391

Q. D. P. V.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**PROBATIONE  
SPONSALIORVM,**

20  
*Quam*  
DEO T. O. M. ADVENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
ET DVCATVS MAGDEBURGICI GVBERNATORE,  
CETERA,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE

**DN. IO. SAMVELE STRYKIO, IC.**  
SERENISS. VIDVAE SAXO-ISEN. CONSIL. AVL. PROF.  
IVR. PVBL. ET ORD. ICT.  
h. t. PRO-DECANO,

*PATRONO SVO OMNI HONORIS CVLTV VENERANDO,*  
**PRO LICENTIA**

Summos in vtroque Iure honores & Priuilegia DOCTORALIA  
rite capeffendi,

IN AUDITORIO MAIORI  
D. xxvii. April. A. R. S. MDCCXI.  
Horis ante- & pomeridianis

*Placido Eruditorum, examini submittit*  
**IO. MATTHIAS BIESTER**  
Hamburgensis.

Halæ Magd. Typis Joh. Gruneri Acad. Typogr.